



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 4. Aruntius, Pygmalion, Sciron, ipsi malum, quod alijs dederunt, paßi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



lib. 1. in  
Eutrop.

*Qui funesta nouo fabricauerat ara dolori,  
Primus in expertum Siculo cogente tyranno,  
Sensit opus, docuitq; suum mugire iuencu.*  
Quin & ipse quoque postea tyrannus Phalaris, eidem tauro inclusus, & in cinerem redactus est. Quod supplicium inimico itidem suo Poeta imprecatur:

*Vtq; ferox Phalaris, linguâ prius ense resectâ,*

*More bonis Paphio clausus in are gemat.*

§. IV.

*Aruntius, Pygmalion, Sciron, ipsi malum, quod alijs dederunt, passi.*

Aristides, apud Plutarchum author est, Ægestam Siciliae oppidum fuisse, in quo principem locum tenebat Æmylius Censorinus, qui noui tormenti inuentores muneribus cumulabat. Cui cum Aruntius Paterculus equum ex ære factum ad fontes perimendos excogitasset, eiusdem jussu primus eò coniectus est, & ibidem vstulatus, Æmylio ingeniosus, sibi damnosus. Idem quod Thrasillo contigit, euenit Pygmalioni; qui quòd docuisset, Deorum aras hospitem sanguine irrigandas; eas ipse quoq; suo cruore coactus est foedare:

*Frater*



per Poëtas & fabulas ostensa. 55

*Frater ut Antai, quo sanguine debuit, aras* Idem  
*Tinxit, & exemplis occidit ipse suis.* Ouid. in  
Ibid.

Sciron immanissimus latro, in Attica, à  
Theseo in mare præcipitatus est, quò priùs  
hospites ipse præcipitabat; cuius idcirco  
ossa in scopulos mutata finguntur. Tutus  
ex eo Atticæ limes

*Composito Scirone patet: sparsisq; latronis* Ouid. lib.

*Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda: 7. Metam.*

*Qua jactata diu fertur durasse vetustas*

*In scopulos, Scopulis nomen Scironis inhareret.*

§. V.

*Ab equis, & vinis mala in authores reuersa.*

Crudelissima canuntur fuisse Diomedis  
præsepia, nam ibi equos suos humano san-  
guine pavit. Tandem ergo & ipse Diomedes  
ab Hercule datus est in pabulum suis equis.  
Fabula hæc dici potest; historia tamen fit  
sæpe apud eos, qui subditorum suorum su-  
dore & sanguine equos ad delicias pascunt.  
Quid deinde mirum, si & ipsi ab equis peri-  
mantur, vel percussi, vel excussi? Icarus pa-  
ter Erigones, cùm Atticis vsum vini tradi-  
disset, ab eisdem in ebrietatem lapsis inter-  
fectus est. Hinc illæ Diræ:

*Muneribusq; tuis ledéris, ut Icarus, in quem* Ouid. in

*Intulit armatas ebria turba manus.* Ibid.

D 4

Fit